

„Exhausti atque Distenti (ut loquitur) Effectus; unde
 „Fermentationes, Deflagrationes et Displasionum
 „omne genus, nempe displodente altero; quod alterum
 „absorbet (seu admittit potius) § 27, 39, 40. Nam et haec
 „etiam ab Elatere fiunt, vel in Contento vel in Contine, vel
 „utroque; illic, explicante se quod nimis fuerat compressum;
 „hic contrahente se quod nimis fuerat distentum: quippe utro-
 „vis modo, nedum utroque fiet irruptio vel explosio, dummodo
 „locus sit, quo sine impedimento recipi possit quod ejiendum
 „erit. Suntque haec plane consona traditis nostris Mechan. c. 44.
 „Sed et illud, Gravitationem in inferioribus oriri ex motu
 „(vel pressu) superioris aetheris § 43, 46. magna saltem
 „verisimilitudine dicitur: quamquam enim Gravitationis causa (ut
 „et Elateris) tam sit in abscondito, ut mihi nondum usquequaque
 „satisfactum sit quid in ea re statuam, Naturae tamen phaeno-
 „mena Pulsione quam Tractione felicius ut plurimum explicantur.
 „Aliaeque multa sunt, quae repetitu non est opus, quae magna
 „verisimilitudine, si non et certitudine, dicta iudico; quaequo
 „per se satis consistunt independentes ab aliis; neque enim ita
 „inter se sunt connexa omnia, ut uno vacillante caetera simul
 „ruant. De tota vero Hypothesi ne quid statim pronuntiem, id
 „saltem facit, quod non sim pronus Ego (in rebus saltem pure
 „Physicis, non Mathematicis) assensum novis traditis adhibere,
 „donec vel Eruditorum sententiis in utramque partem ventilatis
 „quid statuendum sit rectius constet, vel ipsa sui evidentia (quod
 „in veris Hypothesibus non raro fit) veritas eluceat. Fundamen-
 „tum Hypotheseos novae petit ex Abstracta sua motus The-
 „oria (quam necdum vidi, ut nec hujus Tractatus posteriora,
 „quae passim citantur,) nempe, Quod nulla sit cohaesio
 „quiescentis, sed omnis consistentia seu cohaesio
 „oriatur a motu § 7, 42, 34. (quod cum Guilielmi Neilii nos-
 „tri placitis coincidit). Contra vero Honoratissimus Boyleus Con-
 „sistentiam in particularum quiete, et Fluiditatem in
 „earundem continuo motu, collocat. Alii, ad varias Atomo-
 „rum figuras, hamatas et varie implicitas, rem referunt.
 „Neque Ego is sum, qui in tanta sententiarum varietate me
 „velim arbitrum interponere. Sed tempori res permittenda est
 „et Doctorum in utramque partem rationibus. Quippe, idem
 „fere obtinet in novis Hypothesibus atque in Pendulorum Oscillati-
 „onibus; ubi, post crebras hinc inde factas reciprocoationes,

„tandem in perpendiculari fit quies. Id vidimus in Hypothesi
 „Copernicana, quae utut fuerit Veteribus cognita, tamdiu tamen
 „jacuit sepulta ut pro nova haberetur: Et quamvis optima esset
 „suffulta ratione, non tamen statim obtinuit, sed a variis fuit
 „variis modis impedita, et acriter disputata, donec tandem rati-
 „onibus authoritati praevalentibus ita jam universim admittitur,
 „ut vix quispiam harum rerum gnarus de ea dubitet, nisi quibus
 „Cardinalium decretum praepudicium est: Et quamquam Tycho
 „novam illius loco substituerit, quae illi aequipolleret, ea tamen
 „tot onerata est incommodis, ut existimandus videatur potius
 „ad frangendam invidiam id fecisse (quoniam Telluris motus ita
 „Vulgi opinionibus horribilis videbatur) quam quod Copernici
 „Hypothesin ex animo repudiaverit. Idem dicendum de Circu-
 „latione Sanguinis Harveyana; quae utut optime stabilita
 „fuerit et oculorum *atrophia* comprobata, disceptata tamen
 „fuit inter Londinenses Medicos viginti plus minus annis, ante-
 „quam in publicum prodiret; et ab aliis postea. Quae tamen
 „deinceps post maturam rei pensationem (quod tempori dandum
 „erat) ab omnibus ut indubitata recipitur. Sic Galilaei Hypo-
 „thesis (ob Antias, aquam non ultra certam altitudinem attra-
 „hentes, primum excogitata) quam Torricellius in graviore liquido
 „adeoque magis tractabili promovit, Aequilibrium Atmosphae-
 „rae pro Veterum Fuga Vacui substituens, non nisi post diu-
 „tinas hinc inde disputationes eum apud Viros Doctos locum
 „obtinuit, quem jam habet. Idem de Jolivii nostri vasis Lym-
 „phaticis, ante multos annos Londinensibus Medicis ab illo
 „indicatis atque ab iisdem admissis et approbatis dicendum
 „erit; Quae tamen ita rationi consona reperta sunt et oculari
 „inspectioni manifesta, ut tandem longo post tempore inter
 „alios aliquot acriter disputatum sit, quis eorum primus Inventor
 „fuerit. Idemque in hoc negotio, aliisque novis Hypothesibus
 „expectandum, quae nec oculi inspectione nec certa demonstra-
 „tione probari possunt, ut, si veris rationibus fundatae sint, tan-
 „dem, quamvis non nisi post velitationes utrinque factas, in li-
 „bere philosophantium animis locum obtinebunt, interea pendu-
 „lae mansurae.“

Secundo, idem Wallisius de Theoria Motus Abstracti
 haec alio tempore multo parcius respondet;

„Accepi transmissam Dn. Leibnitii Theoriam Motus Abstracti;
 „de qua etiam iudicium meum expectatis: Duo autem sunt



„quae suadeant, ne illud praestem. Alterum, quod res invidiosa
„videatur de aliorum scriptis censuram agere: Alterum, quod
„occupatissimo tempore huc advenit, quo aegro tempus obti-
„nerim semel atque iterum attentius legendi, nedum omnia
„pencilatius expendendi. Quoniam vero id petitis, haec pauca
„dicam: Multa scilicet inibi contenta, Ego plane approbo, ut
„subtiliter et solide dicta, quaeque virum curiosum et cogitabun-
„dum indicant. Si pauca sint, quibus non statim assentiar, ignoscet,
„spero, Vir humanissimus. Et speciatim, fateor, mihi nondum satis-
„factum esse, ut, primis saltem cogitationibus, statim assentiar, Co-
„haesionem omnem ex continuo celerique sed inobservabili particula-
„rum motu fieri (quod ille Theoriae Motus Concreti fundamentum
„ponit:) uti nec pridem mihi fiebat satis, cum, ante aliquot an-
„nos, similem quietis et Cohesionis causam assignaverit Nei-
„lius noster*). Quid olim aliquando fiet, post rem accuratius
„perpensam, nec dicere possum, nec praevidere. Interim Ego
„anxius nec quicquam in aliorum praepudicium pronuntio; quin
„liberum cuique sit, eam quam rationi magis consentaneam ju-
„dicaverit sententiam amplecti.“

Hucusque Wallisius noster, qui forte rem totam a Te pro-
positam, concessio ampliori otio, penitus excutiet. Nelius ille,
quem indigitat, vir adhuc juvenis, e Societate Regia, aetate juxta
ac ingenio florenti satis nuper concessit. Is anno 1667 sua de
Principiis et Natura Motus Cogitata primum Doctissimo Wallisio
et mihi, deinceps vero ipsi Societati Regiae exhibuerat, prout in
ejusdem Archivis consignata reperiuntur. Supponebat ille, Nullum
quiescens habere resistantiam ad Motum; et duo corpora sibi
invicem occurrentia, ambo in concursus instanti a Motu desinere.
Nullam ipse in mundo admittebat Reflexionem, statuens, nullam
materiae particulam posse retroagi quin prius moveri desineret;
si vero denuo moveatur, a novo id impulsu oriri, etc.

Caeterum, Vir Amplissime, morem gessi desiderio tuo, et
pro commodiori distributione Scriptum tuum hic recudendum
tradidi. Hoc sane pacto, Doctorum quorumvis nostratium senten-
tias longe lateque explorabit, ab iisque forsitan, ubi Tu necdum
clare cernis, ampliolem aliquam lucem foenerabitur. Tu interim

*) Leibniz hat am Rande bemerkt: Nota, si quies est causa cohaesionis,
omnis cohaesio est aequalis

valeas feliciter et scientias Philosophicas pro virili augere pergas.
Dabam Londini d. 42 Junii 1674.

P. S. Jam ante aliquot septimanas transmittendos ad Te
curavi libros, quos petieras. Martinus noster, Bibliopola Londi-
nensis, commendavit eos Schultzio Hamburgensi; hic Zunnero
Francofurtano. Tu operam dabis, si placet, ut quantocius rescis-
cam, postquam tum illi libri, tum haec literae ad manus tuas per-
venerint; meminerisque inscriptionis solitae, nempe etc.

Nil praeterea, nisi ut literae tuae rite curentur vel Amstelo-
damum vel Antverpian; inde enim tuto ad nos transferentur.

Si quid Parisienses de tua Hypothesi et Motus Theoria
censerint, id nobis a Te communicatum iri omnino confidimus.

VI.

Oldenburg an Leibniz.

Ante paucos dies Studioso cuidam Francofurtensi, Hambur-
gum hinc vellificaturo, literas ad Te datas commisi, satis, ut puto,
prolixas, quas Tibi rite traditas jam esse dubitare nolim. Contine-
rent illae, quid philosophorum nostratium nonnulli de Hypothesi
tua sentiant, quidque Ego de eadem in Transactionibus philoso-
phicis commemorandum duxerim. Supersunt nonnulla in literis
tuis novissime ad me datis, quibus responsum debeo, quod ta-
men cum paratum necdum habeam, in aliud tempus differre
cogor. Interim dimittere harum gerulum nobilissimum haud
potui, quin Te salutarem, simul et fidem facerem, me reliqua,
quae de me exspectas, quamprimum fieri id poterit, conjecturum.
Caeterum cum eximius Helmontius, affectu mihi conjunctissimus,
propediem ad nos sit reversurus, poteris, si placet, ipsi tuto
committere, quaecunque forsitan mihi scribenda vel communicanda
occurrerint. In novissimo Nundinarum Francofurtensium Cata-
logo unus alterve liber juridicus occurrit quorum tituli singulare
quid spondere videntur. Sunt illi quidem, Strykii Tractatus de
Jure Sensuum, et Gutherii Tractatus de Jure Manium. Si quidem
libros hos lectu dignos judicaveris, ut mihi hac occasione trans-
mittas, rogo, operam daturo, ut quibusdam authoribus hinc tibi

mittendis beneficium rependam. — Vale, et raptim ex nimia festinatione scribenti ignosce etc.

Londini d. 3. August. 1671.

VII.

Oldenburg an Leibniz.

Tardius aliquanto binis tuis novissimis, 10. junii et 20. ejusdem ad me datis, respondeo, quod rusticari ad tempus, deinde complura negotia, nullam ferentia moram, expedire debuerim.

Gaudeo interim, quae antehac ad Schulzium Hamburgensem in usum tuum transmissi, rite Tibi dudum fuisse reddita. Ex eo tempore, Numero 74. Ephemeridum mearum Philosophicarum, Doctoris Wallisii de Hypothesi tua Physica iudicium inserui, quem libellum ab eodem bibliopola Hamburgensi ad Te curatum quoque fuisse plane confido.

Ceterum quod artem illam attinet, quam Amicum tuum calero scribis, Chalybem scilicet ex ferro in quantitate cum magno emolumento parandi, scire te velim, Serenissimum Principem Rupertum Palatinum hic Londini artificium illud perquam facili negotio in praxin deduxisse, et quoties lubet deducere. Quaevis enim Instrumenta ferrea, penitus jam confecta, integra etiam tormenta bellica grandia aequae ac parva, etc. novit Ille in Chalybem perfectum, multo minori quam secus sit sumptu facili negotio convertere, ad eamque quam libuerit temperiem, citra ullum instrumenti damnum, reducere. Grandamici experimentum a Te recitatum, fidei adeo sublestae habetur a Nostratibus, ut nomen haecenus reperim, qui dignum iudicet, cui peragendo tempus impendatur.

Certum est, quod Monconisius de pulvere Kusteriano^{*)}, ingentes naves duorum triumve minorum spatio in fundum agente, commemorat; revera enim id praestitum fuit, imperante Cromwello, qui et in eo erat, ut cum Inventore de certo precio contraheret; morte tamen rei executionem praeoccupante.

Compos fieri non possum libri a te desiderati, cui titulus: Gabriel Plat de thesauris subterraneis. Interim edocuit me vir

^{*)} Oder Kusteriano?

Philosophus et in Chymicis versatissimus, qui eum totum evolvit expenditque, nullam ea in re, quam Tu indigitas, transmutationem intercedere, sed totum negotium in eo consistere, quod Aurum ex Antimonio parva quantitate, perinde atque ex Ferro, elici sive extrahi possit.

Experimentum Boecheri impressum, de methodo scilicet Ferrum ex limo lateritio et lini oleo parandi, in oras nostras pervenit, et jam modo sub examine versatur; cujus eventum suo tempore perscribam.

Vidisti sine dubio, quae Cassinus nuper de Maculis in Sole, Augusto novissimo observatis commentatus est; quaeque de eodem argumento Ephemeridibus meis Philosophicis No. 74. eodem mense evulgatis annotavimus. Non dubium, quin et Tu eas inspexeris; uti eadem et Amstelodami, Hamburgi et Londini observatae fuerunt.

Clarissimus Wallisius tertium et ultimum volumen edidit operis sui de Motu et Mechanice, ubi, inter complura alia, tractat de quinque Potentiis Mechanicis, ad motum facilitandum comparatis, de Vecte scilicet, Axi in Peritrochio, Trochlea, Cochlea, et Cuneo; deque aliis, quae ad has reduci possunt. Insuper nonnulla de Hydrostaticis; de Gravitate et Elatere Aëris, deque Atmosphaerae contrapondio; unde ea derivat effecta, quae Naturae a vacuo abhorrenti philosophorum vulgus attribuit; addita complurium Experimenti Torricelliani phaenomenonum Explicatione; multarumque Quaestionum Mechanicarum solutione etc. Exemplaria ejus quam primum sine dubio Hamburgum transvehentur; unde brevi poterunt Moguntiam curari.

Telescopia et Microscopia Anglica quod attinet, scire Te velim, Artificem hic esse unum alterumve, qui talia elaborent, quae haecenus Nostratum non modo, sed et Advenarum atque Extranearum applausum meruerint. Arduum nonnihil est quid ea praestent, examussim designare. Dn. Hevelius non ita dudum Telescopium 50 pedum triginta libris sterling; nec non Microscopium eximiae magnitudinis et praestantiae, decem libris sterl. a nobis procuravit; mihi nuper scripsit, utroque sibi abunde satisfactum. Ni fallor, Telescopium 60 pedes longum probe elaboratum, statuit obiectum 4000000 es: Et Microscopium, quale supra dixi, tantundem. Specula concava Ustoria quod spectat, Artificum nostrorum unus offert, velle se, precio 40 librarum Anglicarum, tale speculum conficere, cujus diameter sit 46 pollicum, quodque ad duo-

rum pedum distantiam urat efficaciter. Nosti, in Gallia jam quid amplius fuisse praestitum. Forte et nostri homines majora praestarent, si consimili praemio stimulantur. Hisce vale, meque virtutis ac doctrinae tuae Cultoribus aepense.

Dab. Londini d. 28. Septbr. 1671.

VIII.

Oldenburg an Leibniz *).

Me voicy en votre logis, pour livrer à S. Exc. Mons. de Schoenborn une lettre, et à vous une autre, qui me sont venus en main aujourdhuy sous mon couvert. Je plains mon malheur de n'avoir pas trouvé S. Excellence au logis, pour luy faire la reverence et pour rendre sa lettre en main propre. Vous me ferez la grace de le faire à ma place avec mes très-humbles baisemains.

Monsieur le Chevalier Moreland, dont vous parla hier Mons. le Chevalier Moray, et qui est l'inventeur d'une machine Arithmétique, m'ayant parlé de la vostre aujourdhuy, a dit, qu'il est prest de vous montrer la sienne demain sur les onze heures du matin, désirant aussi de voir la vostre, afin de les conférer ensemble. C'est donc Mons., pour vous offrir mon service de vous accompagner sur cete heure là dans le jardin de Whitehal, où il a quelques chambres, et où son dit Instrument est logé, s'il vous plait de prendre la peine m'appeller chez moy, et faire porter vostre machine avec vous. Si non, vous m'obligerez de me le faire savoir demain matin à bonne heure, à fin que je regle mes affaires là dessus et face scavoir à Mons. Moreland, qu' il ne nous attende pas etc.

le 30. Janv. 1673

au soir.

*) Dies und das folgende Schreiben sind 2 Billets, die Oldenburg an Leibniz während seines Aufenthalts in London richtete.

IX.

Oldenburg an Leibniz.

Je vous supplie de vouloir faire mes treshumbles baisemains à S. Exc. Monsieur de Schoenborn, et de m'excuser aupres de luy, de ne pouvoir pas jouir de l'honneur qu'il m'a destinée cejourdhuy, ayant receu ce matin à la Cour des affaires, qui demandent une despesche sans aucun delay, desorte que ie n'auray presque pas une minute de temps pour disner chez moy. Je me donneray pourtant l'honneur d'assurer son Exc. devant son depart de mes treshumbles obeissances, et de vous tesmoigner aussi, que je suis sincerement etc.

le 9. Fevr. 1673.

X.

Leibniz an Oldenburg *).

Cum heri apud illustrissimum Boylium incidissem in clarissimum Pellium, Mathematicum insignem, ac de numeris incidisset mentio, commemoravi ego, ductus occasione sermonum, esse mihi methodum, ex quodam differentiarum genere, quas voco Generatrices, colligendi terminos seriei cujuscunque continue crescentis vel decrescentis. Differentias autem Generatrices voco: si datae seriei inveniantur differentiae, et differentiae differentiarum, et ipsarum ex differentiis differentiarum differentiae etc.; et series constituatur ex termino primo, et prima differentia, et prima differentia differentiarum, et prima differentia ex differentiis differentiarum etc. ea series erit differentiarum generatricium, ut si series continue crescens vel decrescens, sit a . b . c . d, differentiae generatrices erunt $a, a \frac{\pm}{1} b, a \frac{\pm}{2} b, \frac{\pm}{3} b, b \frac{\pm}{3} c,$

$a \frac{\pm}{1} b, \frac{\pm}{2} b, b \frac{\pm}{2} c, \frac{\pm}{3} c, b \frac{\pm}{3} c, \frac{\pm}{4} c, c \frac{\pm}{4} d.$ (Fig. 4.)

*) Nach einer Abschrift in der Sammlung v. Murr's auf der Königl. Bibliothek zu Berlin.



Aut in numeris; si series sit numerorum cubicorum deinceps ab unitate crescentium, differentiae generatrices erunt numeri 1. 6. 6. Voco autem generatrices, quia ex iis certo modo multiplicatis producantur Termini Seriei, cujus usus tum maxime apparet, cum differentiae generatrices sunt finitae, termini autem seriei infiniti, ut in proposito exemplo numerorum cubicorum. Hoc

0	0	0				
6	6	6	6			
6	12	18	24	30		
4	7	19	37	61	91	
0	4	8	27	64	125	216

cum audisset Claris. Pellius, respondit, id jam fuisse in literas relatum a Domino Mouton, Canonico Lugdunensi, ex observatione Nobilissimi Viri Francisci Regnaldi Lugdunensis, dudum in literario orbe celebris, in libro laudati Domini Mouton de Diametris apparentibus Solis et Lunae. Ego, qui ex epistola quadam a Reginaldo ad Monconisium scripta et Diario itinerum Monconisiano inserta, nomen Domini Moutoni et designata ejus duo didiceram; Diametros lunarium apparentes et consilium de mensuris rerum ad posterum transmittendis; ignorabam tamen, librum ipsum prodiisse; quare apud Dominum Oldenburgium Soc. Reg. Secretarium sumtum mutuo tumultuarie percurri, et inveni verissima dixisse Pellium: sed et mihi tamen dandam operam credidi, ne qua in animis relinqueretur suspicio, quasi tacito inventoris nomine, alienis meditationibus honorem mihi quaerere voluissem. Et spero apparitum esse, non adeo egenum me meditationum propriarum, ut cogar alienas emendicare. Duobus autem argumentis ingenuitatem meam vindicabo; primo si ipsas Schedas meas confusas, in quibus non tantum inventio mea, sed et inveniendi modus occasioque apparet, monstrem: deinde si quaedam momenti maximi Reginaldo Moutonaeque indicta addam, quae ab hesterno vespere confinxisse me, non sit verisimile, quaeque non possunt facile expectari a Transcriptore.

Ex Schedis meis occasio inventi haec apparet; quaerebam modum inveniendi differentias omnis generis potestatum, quemadmodum constat differentias quadratorum esse numeros impares; inveneramque regulam generalem ejusmodi: Data potentia gradus dati praecedente invenire sequentem (vel contra) distantiae datae vel radicum datarum; seu invenire potentiarum gradus dati utcumque distantium differentias. Multiplicetur potentia gradus proxime praecedentis radice majoris per differentiam radicum, et differentia potentiarum gradus proxime praecedentis

multiplicetur per radicem minorem; productorum summa erit quaesita differentia potentiarum quarum radices sunt datae. Eandem regulam ita inflexeram, ut sufficeret praeter radices cujuslibet gradus etiamsi non proxime praecedentis, potentias datarum radicum dari, ad differentias potentiarum alterius cujuscunque licet altioris gradus inveniendas. Et ostendi quod in quadratis observatur, numeros impares esse eorum differentias, id non nisi regulae propositae subsumtionem esse.

His meditationibus defixus, quemadmodum in quadratis differentiae sunt numeri impares, ita quoque quaesivi, quales essent differentiae cuborum; quae cum irregulares viderentur, quaesivi differentias differentiarum, donec inveni differentias tertias esse numeros senarios. Haec observatio mihi aliam peperit; videbam enim ex differentiis praecedentibus generari terminos differentias sequentes, ac proinde ex primis, quas ideo voco generatrices; ut hoc loco: 0. 4. 6. 6. sequentes omnes. Hoc concluso, restabat invenire, quo additionis multiplicationisque aut horum complicationis genere termini sequentes ex differentiis generatibus producerentur. Atque ita resolvendo exprimendoqueprehendi, primum terminum 0 componi ex prima differentia generatrice 0 sumta semel seu vice (1)^{ma}, secundum 4 ex prima 0 semel (1) secunda 4 semel (1), tertium 8 ex prima 0 semel (1) secunda 4 bis (2) tertia 6 semel (1), nam $0(1) + \widehat{1}(2) + 6(1) = 8$, quartum 27 ex prima 0 semel (1) secunda 4 ter (3) tertia 6 ter (3) quarta 6 semel (1), nam $0(1) + \widehat{1}(3) + 6(3) + 6(1) = 27$ etc. ikque Analysis mihi universale esse comprobavit.

Haec fuit occasio observationis meae longe alia a Moutoniana, qui cum in tabulis condensis laboraret, in hoc calculandi compendium cum Reginaldo incidit; nec vel illi vel Reginaldo adimenda laus, quod et Briggsius in Logarithmicis suis jam olim talia quaedam, observante Pellio, ex parte advertit. Mihi hoc superest, ut addam nonnulla illis indicta, ad amolendum transcriptoris nomen; neque enim interest Reipublicae, quis observaverit, interest quid observetur. Primum ergo illud adjicio, quod apud Moutonium non extat, et caput tamen rei est; quoniam sint illi numeri, quorum tabulam ille exhibet in infinitum continuandam, quorum ductu in differentias generatrices, productis inter se junctis, termini serierum generantur. Vides enim ex ipso modo quo tabula ab eo pag. 385 exhibetur, non fuisse



coram licuit viros, quorum iudicio ac doctrinae tantum Europa defert.

Jecistis certe fundamenta rerum magnarum, quibus inaedificare genus humanum potest. In ista aedificatione alii Architecti sunt, alii materiam subigunt, alii formant; nec illi rejiciuntur, qui obvia sed apta saxa, arrepta aggerunt ad augendam struem. Ea enim est bonitas vestra prudentiaque, ut mediocribus etiam ingeniis uti sciatis velitisque. Id vero eam mihi quam hic videtis audaciam fecit, offerendi operam meam destinatis tam praeclaris, quando ingenium industria ac bona voluntate suppleri potest. Si fas est recipi inter vestros hominem peregrinum, juvenem, nullis operibus vestro nomine dignis clarum, nec nisi conatu se commendantem, jam nunc (quanquam absenti, in necessaria itineris festinatione, signandi potestas futura non sit) nomen dabo.

Homini philosopho veritatisque amanti, nulla propemodum nova obligatione opus est, ut vester sit: ita enim arbitror, id quod generis humani, et quod Societatis Regiae pro generis humani agenda potentia laborantis, interest, idem esse nec aliquid in Vos conferri quod in publicum non redundet.

Hoc animo, hoc consilio, ego me Vobis totum offero. Vos ut visum erit, utemini.

Illustrissimi Clarissimique Dni.

Londini, 1^o/₁₀. Febr. 1673.

devoto Vobis
G. G. L.

XII.

Leibniz an Oldenburg*).

Paris 8. Mart. sty. nov. 1673.

Ubi primum Parisios feliciter appuli, illud inter primas meas curas fuit, ut ad TE literas grati animi indices et commercii excultrices darem. Ante omnia non dubito, libros quos a TE

*) Nach einer Abschrift des Herrn Professor Gubrauer, die derselbe im British Museum vom Original genommen.

mutuos habebam, recte ad TE perlato, eos enim nunc discessurus, quando perferendi spatium non supererat, Nobilissimo Schrodero commendavi, adjectis ad TE literis meis, quibus alias ad Illustrem Societatem Regiam incluseram, voti mei, coram TE expositi, et a TE approbati indicatrices. Illud certe tuto meo nomine spondere potes, daturum me operam, ne tantos viros poeniteat, hominem quantuluncunque, optime tamen animatum, benigne suscepisse.

Illustriss. Boylio cum salute a me, absequia et venerationem denunties oro. Ita enim illi pariter Tibique, imo amicis meis omnibus persuasum esse volo, testorque quoties occasio est, Virum esse maximis ab omni memoria hominibus connumerandum, et cui statuas, aliquando debere se agiturum sit humanum genus. Quaeso quae ille promisit mihi, Catalogum commutandorum, fac mature teneam favore Tuo, ac reciproca ei a me promitte.

Sane afflixit nos non mediocriter infelix nuntius de Eminentissimi Electoris Moguntini morte, quem Caleti offendimus, in quo Principe certum est non Rempublicani tantum, sed et Philosophiam plurimum perdidisse. Solamur nos tum successore Episcopo Spirensi, principe non sapiente tantum, sed et ad mechanica usque curioso; eidemque familiae illigato, nam frater ejus Schonbornii qui apud Vos nunc fuit, sororem in matrimonio habet; tum quod literae chartaeque omnes, imprimis quae ad rem philosophicam spectare possint, in manu nostra erunt; sed hoc non nisi ad TE scriptum volvatumque *) illu. Boylium.

De coetero ill. Boylium quaeso roga, ut si placet, menstruum Stanni, ut spem facit, necum communicet. A Te quoque, Domine, prout promisisti, expecto illam (mixtura ex duabus partibus Aquae fortis et una parte spiritus salis communis) formae in metallum impressionem, ejus mentio fit in historia Societatis. Quicquid vicissim imperabis, exequar sedulo.

In Instrumento meo Arithmetico laboratur strenue. Roperi certissimam rationem in exiguum spatium, ac, si placet, baculum includendi, idque sive Elateria sive tantum Rotas adhibeas: nequid id ex iis quae jam habebam difficile erat praestare. Quare pro certo habeo, Clarissimum Hookium se non mixturam inventioni alterius; ejus enim generositatis ac prudentiae

*) So sieht in der Abschrift; vielleicht ist zu lesen: volutatunumque.
L. 3



esse arbitror, ut propria potius inventa, quibus non caret, poliat, quam ab alio jam publice proposita inivoleat. Sane ex relatione ejus quam mihi praesente. Clarissimo Haekio fecit, constabat, fundamentum constructionis idem esse cum meo: tantum ab eo compendium promitti. Nec dicere poterit, ipsum fundamentum ei sine me in mentem venisse, cum duo constet (1) nemini eum unquam de tali re locutum, antequam ego in Angliam cum machina mea veni, (2) machinam meam ab eo diligenter et curiose ex proximo fuisse inspectam. Cum enim eam in R. Societate exponerem, ipse sane proximus fuit, assericulum posticum, quo tegebatur, amovit, omnia, quae dicebam, exceptit: ac proinde qua est sagacitate et rerum mechanicarum peritia, dicere non potest, mea a se non percepta. Equidem omnes rotas meas non assecutum distincte, facile concessero: at sufficit in talibus homini ingenioso et mechanico ideam instituti rudem, imo exteriorem operandi modum semel vidisse ad aliquid de suo postea comminiscendum, quod in Rotarum tantum complicatione consistit, quae a variis vario fieri potest. Scimus viros candidos et generosos, si quid deprehenderant, quod ad aliena inventa augenda pertineret, maluisse additamenta sua atque accessiones autoribus concedere, quam in suspicionem incurrere parum jejuae mentis et egeni verae gloriae animi, si falsam quendam inhonesta rapacitate aucuparentur. Ita post inventa a Galilaeo sidera Medicea Peirescius in periodos eorum observandas summo studio incubuit; at ubi autorem intellexit ad eandem curam animum appulisse longitudinum causa, sua ei omnia ultro libens concessit, idque justitiae esse ratus est. Ita Gassendus in Selenographiam quondam diligenter incubuerat, multasque jam figuras Telescopio adhibito delineatas in aere sculpi curaverat: at ubi intellexit praecoccupatam esse ab Hevelio provinciam, propiusque eum a meta abesse, non desistit tantum, sed et suarum observationum participem fecit. Contra inventoris est, ei quoque se obligatum publice profiteri, cujus monitis cogitata sua crevere. Quare breviter: cum substantia inventi mea sit aut hausta ex meo; cum quicquid Hookius *) tantundem ego praestiturus sim, clarissimum virum, qua est virtute, rei meae cultum ac polituram mihi relicturam,

*) So in der Abschrift; offenbar derselbe Name, der oben Hookius geschrieben ist.

imo et quas habet admonitiones earum mihi copiam liberaliter facturum, interventu praesertim Tuo, spero; quod si fecerit, publice candorem laudabo; sin minus, rem faciet nec concepta de se opinione, neque natione sua, neque Regia Societate dignam. Caeterum cum optima quaeque sperem, hoc non nisi TIBI, ac si placet, Ill. Boylio scriptum volui, ut si occasio ferat, a coepto eum deducat, imo communicationem ei persuadeatis. Quare hactenus nemini nisi Boylio TIBIque verbum de re dixi scripsive.

Locutus est mihi Dominus Boylius de quodam praedictore ventorum, qui et menstruas suas praedictiones mittere solebat, sic satis veraces. Interroga quaeso, an novissime miserit et satis veras.

A Domino Hookio sciscitare quaeso, quid de Blondelliana circa Trabium aequiresistentium figuram demonstratione sentiat, quando ipsum quoque de ea re meditatam ais. Diarium homunculi Gerickiani continuatur, cum successu. Oblitus sum a Domino Boylio quaerere, quid sentiat de experimento Hugeniano in Diario eruditorum, aliquando relato, de duabus laminis sive Tabulis politis, in vacuo aequae ac in pleno non divulsis, cum tamen meminerim contrarium experimentum a Boylio in novissimis de vi Elastica narratum esse. De Algebra pervelim nosse, an aliquid circa depressiones aequationum insignes viri apud vos, Illustriss. Brunckerus, tum viri tuus Wallisius, Pellius, Mercator, Gregorius alique praestiterunt. Parisiis est Dominus Osanna, juvenis in Algebra versatissimus, qui nobis aliquid in eo genere, idem Diophantum promotum dabit, reperta ratione solvendi problemata, quae neque ex Diophanto, neque ex cognita hactenus Algebra poterant solvi. Ecce TIBI.

Quatuor problemata, quae (inquit) palam proposuit et, quorum hactenus nemo dedit solutionem:

(1) Invenire infinita Triangula rectangula diversae speciei, in quorum singulis area detracta lateri minori circa rectum, et hypotenusae sigillatim relinquit quadratos.

(2) Invenire infinita Triangula rectangula diversae speciei, in quorum etc. ut paulo ante, substituto latere majore.

(3) Invenire Triangulum rectangulum, in quo differentia quadratorum laterum circa rectum detracta alterutri eorum summae, et differentiae, sigillatim relinquit quadratos.





(4) Invenire tres numeros, ut summa eorum quorumlibet sit quadratus et differentia duorum quorumlibet etiam quadratus.

Haec problemata quae difficillima, ac taediosissima, nec nisi post diuturni temporis impensas solubilia videri possent, ab illo tamen, nova quadam methodo, paucis lineis, ut vidi, soluta sunt: ipse aliis solvenda considerandaque proponit, optatque de iis sententias intelligere egregiorum apud vos Algebraistarum, ut appareat nova an trita sit methodus ejus, solvit autem per speciosas nulla numerorum consideratione.

Caeterum fac, quaeso, sciam, quid Clarissimus Pellius a Mengolo jam praestitum dixerit, cum schedulam ei meam monstravisset. R. P. Pardies dabit dissertationem de linea Logarithmica, ejusque usu in solvendis problematis geometricis omnis generis: eam lineam attingit in suis Elementis Geometriae; sed ea linea describi non nisi per puncta, ni fallor, potest, id est Geometrica non est. R. P. Berthet circa motum a Pardiesii libello dissentit, et ut puto, aliquid de ea re edet. Prostat hic scientia Chinesium P. Iriteriettae, sed non videtur magna adeo mysteria continere. Nosse distinctius velim quae circa Varinkonenj(?)acum magneticam in Hudsonsbay, item Dantisci, mihi narrabas. Hookiani item Catadioptrici statum et successum, imprimis an circa materiam speculi singulare aliquid praestetur, tum ut politura sit pura squalis aeratae, tum ut materia ab aëris injuriis praeservetur. Plura scribam ubi in civitatem me immero, hactenus in componendis reculis versor. Potero tunc fortasse scribere nonnihil de iis, quae Dn. Mariottus de Iride contra Cartesium, et de coloribus contra Newtonium, item de aquarum proprio pondere pressarum joculationibus, quarum leges ab iis quae autores de aequilibrio liquorum scripsere plurimum differunt, molitur. Construxit fonticulum, qui ubi salire desit, emortuus quidem, subito cursus incipit, simplicissimo artificio, et his ipsis quas affert legibus innixo.

De Newtonii sententia scribe quaeso quid vestri sentiant, aegre certe adducuntur eruditi, ut ejus sententiam de differente radiorum refrangibilitate admittant. Si Oxonii responsum accepisti, circa Vectium Valentem, cujus copiam sibi fieri Nobiliss. Huetius desiderat, fac ut sciam. Sumtus describendi lubens exsolvet, modo favore Tuo sit, qui rem in se suscipiat. Sed video me excedere Epistolae modum, imo et moderationis, cum tot ac tanta Tibi imponere, a Te postulare audeo; quam vero rectius

poenam luam, quam . . . Quare vicissim non patiar tantum, sed et rogo, ut quaeras, jubeas, postules quidvis, quod in mea potestate est. Quod si vero proximis literis nihil aliud quam hoc unum mihi responderis, Illustrissimam Societatem precibus meis detulisse, abunde mihi satisfactum putabo. Responsoris mihi inscriptis operculum tale quaeso circumda, ita inscriptum: à Monsieur Monsieur le Baron de Boinebourg, Paris chez Monsieur Heis, rue Thibaut aux dez. Quod restat, vale faveque etc.

Auf dem Original hatte Oldenburg eigenhändig bemerkt: Resp. d. 6. Martii 1677/78, nisi impressionem formae in metallo, et responsa de Vectio Valente; promisi me curaturum ipsius admisionem, et significaturum, quod spectat Boyleum, Algebraem, Osannae problemata, Pellium, spec. Catadioptricum.

Resp. iterum d. 10. April. et nuntiavi, ipsum 9. April. electum fuisse socium Societ. Regiae, inclusi prolixam epistolam de rebus Algebraicis quam plurimis, ex Collinii scripto in Latinum sermonem versis, ut et scriptum continens summam rerum quae destinantur secundo volumine Algebraico quod Anglice meditatus Kersaeus *).

XIII.

Oldenburg an Leibniz.

Londini die 6. April. 1673.

Promiseram, Vir Amplissime, in literis meis, 6^{to} Martii novissimi ad Te datis, me amplioem ad tuas responsonem adnaturum, quam primum edoctus forem de iis, quae porro ex me scire desideraveras. Datam itaque fidem liberaturus, hanc priori epistolam succenturiare volui, ut intelligas eo luculentius, nolle me tibi in ulla re deesse, quae quidem a mea proficiisci tenuitate poterit. Scias itaque primo, me scriptum illud tuum de In-

*) Offenbar ist dies Letztere ein Auszug aus dem folgenden Briefe, der vom 6. April datirt ist.



terpolationum doctrina, deque tuo cum clarisso. Pellio circa id argumentum et Moutonum colloquio, impertuisse Doctiss^o nostro Collinio, similiter e Societate Regia, qui in hac est sententia, dictam Interpolationum doctrinam multo posse latius extendi, longeque reddi faciliorem, idque binæ methodi adminiculo, Aequationem seriei propositæ accommodando, quam numerorum figuratorum Tabulas adhibendo. Ut exemplis rem ostendat, duas omnium difficillimas in Moutoni libro series sub incudem vocat, dicitque si respectu alterutrius earum sumas numerum terminorum esse radicem, sive t , atque ex Aequatione eruas Homogeneum, inventum iri quemlibet numerum vel numerum intermedium in alterutra harum serierum.

Prior series.

$$\left. \begin{array}{l} 3 \\ 5 \\ 8 \\ 18 \\ 45 \\ 105 \end{array} \right\} \text{Hujus prioris haec est Aequatio ipsi accommodata,}$$

$$\frac{1}{60}t^5 - \frac{1}{12}t^4 + \frac{3}{4}t^3 - 3\frac{5}{12}t^2 + 7\frac{11}{15}t - 2 = N$$

Altera series.

$$\left. \begin{array}{l} N \\ 3 \\ 48 \\ 222 \\ 1317 \\ 4977 \end{array} \right\} \text{Aequatio haec est:}$$

$$\frac{1}{20}t^5 - 20\frac{1}{4}t^4 + 56\frac{1}{4}t^3 - 104\frac{1}{4}t^2 + 103\frac{2}{10}t - 39 = N$$

Ex gr. sumo terminum quartum

$$\begin{array}{r} + 4 \times 103\frac{2}{10} = + 412,8 \\ - 16 \times 104\frac{1}{4} = - 1620 \\ + 64 \times 56\frac{1}{4} = + 3600 \\ - 256 \times 20\frac{1}{4} = - 5184 \\ + 1024 \times \frac{1}{20} = + 4147,2 - 39 \\ \hline + 8160 - 6643 \\ - 6843 \\ \hline + 1317 \end{array}$$

Adicit in quavis Aequatione quinti gradus (quod et extendit ad alios gradus) facile esse, per 4 Multiplicationes o Radici-

bus excitare Homogenea, ita ut non sit opus, radicis excitare Potestates.

Deinde. quod commemorabas, Methodum tibi suppetere, qua addere possis eas Series Fractionum, quarum Denominatores numeris constant Figuratis; putat idem Collinius, Mengolum in libro suo de Additione Fractionum sive Quadraturæ Arithmeticae, Bononiae impresso A. 1638, docuisse nos modum summae harum serierum inveniendae. At quando idem Mengolus pergit ad Progressionem Musicam in Fractionibus, vel quod idem est, ad Reciproca Progressionis Arithmeticae, cum Quadratis et Cubis eorum, puta fatetur ille, non potuisse se harum serierum summam invenire, ditiorisque ingenii adminiculum in eo postulabat. Methodus nostra, ait Collinius, ad harum quoque summam inveniendam se porrigit, atque si illa methodus idem praestat, eas concidere arbitratur. Ad quod experiendum, utilem hanc quaestionem proponit:

Quidam habet domum fundumve sibi locatum pro censu annuo 100 librarum, spatio 100 annorum: scire cupit presentem ejus valorem, accisis 6 libris in 100 pro simplici faenore annuo, solutione annuatim facienda.

Valer ille est summa 100 terminorum, hac serie $\frac{10000}{105}$ $\frac{10000}{112}$ $\frac{10000}{118}$ $\frac{10000}{124}$ etc. quod juxta computum nostrum facit 3200 £. quam proxime. Queritur, quae sit summa cujusvis alterius vel majoris numeri Terminorum in dicta serie?

Si procurare nobis potes eum Mengoli librum, cui titulus, Via Regia ad Scientias Mathematicas, ejusdemque Musicam novissime editam; adhaec Griembergerum de Speculo Ustorio Elliptico, una cum ejusdem Nova Caeli Perspectiva, nec non Praxi Sectionum Conicarum, et Consectoriis, Circulorum Contactus et Sectiones angulares concernentibus; rem omnino gratam nobis es praestiturus, quam, referente, demereri annitemur.

Reverendi Patris Pardies institutum quod attinet de Inveniendis Aequationum radicibus, Curvae Logarithmicae beneficio, laudatus Collinius ait, methodum ejusmodi probe inter nos esse cognitam, eamque accommodam non esse nisi Aequationibus dua-



rum potestatum, aequalium numero Resolvendo sive Homogeneo aequationis, quales sunt illae cubicae, quibus suas Cardanus regulas applicat, quae sunt vel saltem reddi possunt generales, obstante nequicquam difficultate ex negativa quantitatis radioe orta; id quod omnibus hucusque Authoribus crucem fixit. Atque in hoc genus Aequationibus consciendis, Tabulae equidem radicum quadraticarum, cubicarum etc. operationes sane tales apprimè faciliores redderent.

Dn. Laurentius Gallus, in praefatione ad Specimina sua, methodum pollicebatur, omnes Potestates medias in quibusvis Aequationibus auferendi, proindeque relinquendi nullas nisi Potestatem supremam infimamque Homogeneo aequalem (qua de re doctissimus Freniclius haud dubie edocere harum rerum curiosos poterit).

Hoc si fieri semper posset, fateremur profecto, Curvam Logarithmicam inservire omnium Aequationum constructioni posse. Atque si hanc obtinere poteris Notionem ullaevae alias a Dno. Osanna, in nuperrimis literis tuis a Te celebrato, circa aequationum in sua componentia divisionem etc; supplemento erunt institutis nostris tempestivo, quae in lucem edita doctissimum Authorem debita laude cumulabunt.

Vidimus non ita dudum Perspectivam Heureti, in qua perstringuntur rejiciunturque Dni. Des Argues Conica, Lecons de Tenebres, nuncupata; quorum nonnisi 50 Exemplaria fuisse impressa dicuntur, adeo ut perdifficile sit, vel unum ex tam paucis procurare. Sentit Dn. Collinius, siquidem mens et scopus Authoris probe attendatur, doctrinam illam applausum potius et augmentum mereri, quam vituperium; Consilium quippe ipsius fuisse, Agere de Sectionibus Conicis ceu projectis & circulis minoribus, in Sphaerae superficie sitis: In cujus rei Explicationem,

Suppone (cum dicto Collinio) Oculum in centro sphaerae, quam tangit Planum zenithi, eumque spectare Planum Segmenti Sphaerae; dictum Planum est Basis Coni, cujus vertex est in Oculo; si quidem supra Horizontem fuerit, eique Parallelus, dictus Circulus, Sectio in Plano tangente erit Circulus; si vero non fuerit Horizonti parallelus, erit Ellipsis; si Horizontem tangat, omnesque ejus partes reliquae fuerint supra Horizontem, erit Parabola; eumque complures ejusmodi circuli elevati tangere in eodem puncto Horizontem possint, Projectiones eorum omnes erunt congruentes Parabolae: At si unus pluresve circuli partim

supra Horizontem fuerint, partim infra eum, Projectiones eorum Hyperbolae erunt; atque si eandem habuerint chordam communem in Horizonte, Projectiones eorum erunt congruentes Hyperbolae: si plane fuerint infra Horizontem, projici nullatenus possunt. Supposito, ex diversis Circulis Sectiones Conicas istum in modum projici, si supponatur censimiliter oculum transferri ad Nadir, eosdemque circulos denuo projici, sequetur quod prius fuit per Conicarum harum Sectionum intersectiones determinatum, id inveniri jam posse et determinari per Circulos projectos positosve sub-contrarie ad istos in Sphaera circulos qui Conorum visualium Bases constituunt. Adeo ut exinde in eam deducamur considerationem, in quibusnam scilicet casibus Problemata per Sectiones Conicas determinata solvi Geometriae planae beneficio queant?

Sed pergo ad alia. Commemorat alicubi Mersennus de Paschali filio, Eum unica Propositione universalissima, 400 Coloriarum armata, totum Apollonium fuisse complexum. Inaudivimus, hunc Tractatum hactenus esse ineditum; insistere autem methodo Des-Argueanae (quam forte ceu viri illius discipulus imberat) edoctique fuimus a Bibliopola Parisiensi de Prex, manuscriptum id esse penes fratrem quandam suum (Prexii) in Auvernia. Utinam id protrahi in lucem posset!

Videre est in Scripto hic sociato *), promissa nobis fuisse residua Fermati. Credimus interim, haec ipsa vel saltem nonnulla eorum, nec non Tractatum Dni. Des Argues, ut et Ms. Clarissi. Robervallii de Locis Planis, Solidis, Linearibus, et ad Superficiem, jam esse diuque fuisse in Anglia, penes virum quandam doctum, qui scripta illa hactenus premit, quique Tractatum molitur de Canone Mathematico, sive Tabulam Sinuum, qua ostendatur, quam difficilia Problemata et Aequationes solvi illius beneficio possint. Quoad Cartesianam problematis Pappi solutionem, ait idem, multum operae fuisse impensum ubi parum sufficisset. Atque ut verum fateamur, inquit Collinius, si 5 puncta in sectione conica, aut 4 in Parabola dentur, alia puncta innumerabilia describi possant angulorum mobilium ope, absque ulla cognitione vel figurae vel ipsius Axium, Focorum, Asymptotarum, Ordinarum unde supputationes Trigonometricae similiter consequuntur.

*) Enthält die Inhaltsanzeige des 2. Bandes von Kersay Algebra.



Interim si non fiat nobis horum copia aliunde, sperandumne saltem, ea nos inventuros esse in Claudii Milleti de Chales Cursu Mathematico, Lugduni Galliarum sub praelo nunc sudante?

Denique, accepit ab Erasmo Bartolino Picardus Dni. de Beaune tractatum de Angulo solido, ea scilicet lege ut Parisiis imprimendum curaret: Lubenter sciremus, num praelo jam commissum sit opus, et quanto temporis spatio proditurum in lucem credatur?

Ob varia complurium Societatis Regiae membrorum negotia publica raro adeo fuerunt a discessu tuo conventus, ut Electio nulla fieri hactenus potuerit. Nec ipse professor Astronomiae Oxoniensis, Dn. Bernardus, eandem ob causam cooptari potuit. Quam primum numerus debitus convenerit, vos ambo simul, ni fallor admodum, cooptabimini.

Polliceor mihi properari ad binas meas responsionem. Subeat, tuas ad me literas sic inscribi, siquidem per tabellarium expediantur; A Monsieur

Mons. Grubendol

à

Londres.

Nil praeterea.

Vale. Sum Tui studiosissimus H. Oldenburg.

XIV.

Oldenburg an Leibniz.

Voti tui, quod relictis mecum literis exposueras, compos jam es factus. dum Regia Societas hesterno die, conspirantibus omnium suffragiis, in sodalium suorum Album Te cooptavit, idque eodem tempore, quo Doctissimum Astronomiae in Oxoniensi Universitate Professorem Savilianum, Dn. Edwardum Bernardum, unanimi similiter consensu elegit. Negotia publica, negotiosa hac rerum facie accumulata, aliquam Electioni huic moram injecere, eo quod complures Societatis nostrae consortes, gravibus occupationibus tum in Aula tum in Regni Comitibus involuti, Conventus nostros philosophicos infrequentiores, reliquerunt; unde fac-

tum, ut requisitus Electioni numerus ad usque diem hesternum nobis defecerit. Exinde vero rebus tuis ex animi sententia transactis, tuum jam erit, genuinum Te Societatis hujus Philosophicae alumnium praestare, inque medium ea conferre, quae vel Tutemet in Physicis Mechanicisque meditando et experiundo fueris consecutus, vel alii per Germaniam in eadem re philosophica excogitaverint. Germana id fide Te praestitutum nulli dubitamus, ad similia vicissim officia Tibi exhibenda ex animo parati. —

Lubens haec addere iis volui, quae jam uberiori epistola die 6. Aprilis ad te data, conscripseram. Vale, deque litteris hisce bene traditis quantocius Tui studiosissimum Oldenburgium certiore reddde.

Dabam Londini die 10. April. 1673

XV.

Leibniz an Oldenburg.

Obligatissimus favori tuo rescripsissem dudum, sed promissas a cl. Huetio literas, in dies expectanti, quas fluxio quaedam oculi ejus incommoda distulerat, tempus elapsum est; Eas nunc ubi primum accepi, statim mitto. Sententiam ejus facile intelliges. Ea viri eruditio est, ut publici; ea humanitas, ut obligantis intersit, eum beneficio ejusmodi obligari. Ea vero promptitudo officiositatis tuae, ut ab ea quidvis sibi polliceantur eruditi. Huetium fortassis non ignoras Delphini studiis admotum; scis gubernatorem esse Montauserium Ducem, in quo cum aulica prudentia doctrinae profunditas certat, studiorum ejus rector primarius, Episcopus Condomensis, proximus ab hoc Huetius. Jussu Montauserii, rectore Huetio, coepta res est ad amoeniores literas, fugientemque antiquitatis eruditionem velut revocandum, perutilis. Certis enim hominibus doctis, id negotii datum est, ut scriptores veteres Latinos, quos classicos vocant, alio quam hactenus more tractent; adjecta quadam velut paraphrasi, ubi opus est lucida ac brevi, ut facilis juventuti reddatur veterum lectio: Rejectis in notas, quae ad auctoris intelligentiam ex historia scientiae repeti debent. Inter caeteros, Vitruvius quoque et Celsus ea lege trac-